

» animos suos ad pacis et quietis reformationem et pulchritudinem  
 » inclinare et circa inquisitionem et tractatum ejusdem speciales et  
 » solemnes personas procuratores syndicos studiose et specialiter  
 » statuissent. Ecce post solemnes et maturas collationes et delibe-  
 » rationes et tractatus habitas et habitos super inde, sapiens et di-  
 » scretus vir dominus Nicolaus Pistorinus ducalis aule Venetiarum  
 » cancellarius, syndicus, actor, et procurator illustris et magnifici  
 » domini Francisci Dandolo Dei gratia incliti Venetiarum ducis,  
 » sui que Consilii et Communis ad infrascripta solemniter et specia-  
 » liter constitutus, ut constat instrumento publico scripto per me  
 » Jacobum notarium infrascriptum anno ab incarnatione domini  
 » millesimo trecentesimo trigesimo octavo, Indictione septima, die  
 » vigesimo nono mensis decembris. Et discreti viri Ciprianus Lip-  
 » pozi, Gerardinus Jannis et ser Diotefeci ser Michaelis notarius  
 » cives Florentie procuratores et syndici dominorum potestatis, prio-  
 » rum artium et vexilliferi justitie, consilii et Communis civitatis  
 » Florentie, ut constat instrumento sindicario et procuratorio scri-  
 » pto per Fulchum olim ser Antonii domini Bonsegnoris imperiali  
 » auctoritate notarium, anno incarnationis domini millesimo trecen-  
 » tesimo trigesimo octavo (1), indictione septima, die duodecimo  
 » mensis Januarii, a me notario viso et lecto ex parte una, ac pro-  
 » vidus vir magister Franciscus medicine doctor qu. dom. Gabrie-  
 » lis de Rugolino procurator et nuntius magnifici et potentis dom.  
 » Mastini de la Scala predicti, ab ipso dom. Mastino pro se et dom.  
 » Alberto fratre suo ad infrascripta omnia et singula specialiter et  
 » solemniter constitutus, ut constat instrumento publico scripto  
 » manu Amadei q. dom. Gregorii de Campitello notarii anno do-  
 » mini millesimo trecentesimo trigesimo octavo, ind. sept., die sab-  
 » bati decimo octobris a me notario infrascripto viso et lecto ex  
 » altera, sindicariis et procuratoriis nominibus supradictis, pure,  
 » voluntarie, et concorditer ac omni modo et forma quibus melius

(1) È l'anno, secondo il calcolo veneto, sicchè si deve intendere il 1339.